

### III.

# NEOVIDENSIS

Nro. 75. (*Neovidensis* 1805. Nro. 72.)

---

*Ex Campis Elysiis*  
Oratio Politica  
De desiderio meliorum temporum.

---

Elysiium-- Meum. -- Die Veneris 20. Sept. 1805. (Neov. 6. Sept.)

---

#### Sententia:

Ubi summa necessitas, ibi Deus citissime auxiliatur.

*Pium adagium.*

Aegre admodum assignabitur in Historia tale tempus, quale ultimis quindecim annis evolutum est, quodve tanta, tamquam terribilia facta posset producere. Vix convelli cœperat Gallia, enatum est bellum, bellum excepit pax *secularisationis*, seu ablationis bonorum ecclesiasticorum, bellum flava febris, flavam febrem defectus panis ad extremam usque famem, defectum panis horribilis terræ motus, & nunc post terræ motum iterum novum imminet bellum, & quidem, ut rerum adjuncta docent, inevitabile. Quid superest in hoc miseriarum pleno situ? In mundo physico nullum solamen, hoc inde

ex cœlo tantum potest sperari. — Ubi summa necessitas, ibi Deus citissime auxiliatur.

Spes adhuc affulgebat nullum futurum bellum, quamdiu gallicæ officiosæ ephemerides parum tantum, & raro ejus meminissent, at modo de eo erupturo utramque faciunt paginam. In Monitore de 31. Augusti leguntur diversi articuli Vindobona, Salisburgo, Oeniponto, Monachio, & Ratisbona, qui itinera militum, apparatus bellicos, & quantum conjectare licet, consilia Austriæ complectuntur. Articulus Monachii die 15. hujus editus, clare habet: Hic omnia in perturbato sunt statu, & nunquam militarunt justiora, & graviora argumenta pro aliqua perturbatione. Apparatus Austriæ eo tempore instituti, quo omnes ejus vicini pacati sunt, manifeste probant, eam bellum meditari, & ex innumera legionum multitudine, versus Oenum properante, abunde patet, primam ejus operationem, quam effectui dare cogitat, futuram Bavariæ occupationem. Hujus rei probabilitatem ipse Austriacus Minister Monachii sua declaratione certam fecit, aperte enim edixit, suam Aulam in expectatione exitus negotiorum cum Gallia, Bavariam in depositum accepturam. Sed etiam multæ personæ in momenta expectant, ut Austriaci Oenum transeant, & Monachium ingrediantur. Eapropter cogitur Elector Bavariæ tam suis ditionibus, quam sibi ipsi

consuler  
20 huj  
plena tit  
per Hun  
bis non  
gallis;  
piæ pa  
tum H  
quoque  
australe  
esse in

O  
ephem  
sum es  
contra  
pacis  
animo  
potuer  
Cæteri  
citissim

P  
quidam  
hac v  
parvis  
sam c  
tuto r  
tacuna  
nulliu  
& rej  
vias a

consulere. Nova autem Ratisbonensia de 20 hujus ita sonant: Apud nos sunt omnia plena timoris: Fama fert, russicum exercitum per Hungariam, & Bohemiam proficisci, nobis non minora mala imminent ab his, quam gallis; Illi animos adduat Austriæ, cujus copiæ paratæ stant intrare Bavariam, Comitatum Herhipolitanum, Sveviam, & ipsam quoque Helvetiam. Omnes motus indicant, australem Germaniam gravibus calamitatibus esse involvendam.

Omnia hæc puncta ideo publicis officii ephemeridibus inserta sunt, ut, quod odiosum est in bello, in alium conjiciatur, dum contra Austria propugnat se omnia remedia pacis conservandæ exhaustisse, sed quæ eo animo excepta sunt, ut bellum declinari non potuerit. Terribilis futurorum expectatio! Cæterum, ubi summa necessitas, ibi Deus citissime auxiliatur.

Pro parte deprimens experientia, inquit quidam senex germanicus Patriarcha, me in hac veritate confirmavit: Magna latent in parvis. Qui parvi facit semen, ille umbrosam conterit arborem. In omni bono instituto recondita jacent divina germina, quantacunque sit humana debilitas. Hac de causa nullius hominis bona voluntas negligenda est, & rejicienda. Nos occultas divinæ sapientiæ vias ad culturam, institutionem, ac emendationem

tionem hominum ducentes imperfecte tantum noscimus, & sæpe perperam dijudicamus. Non est cuique datum, montes transponere, nationes immutare. At, cuique incumbit in sua sphæra bonum agere, & pro viribus errores, & vitia extirpare. Viri boni officium est, exhibere obedientiam, ac fidelitatem in Statione, in qua illum divina providentia collocavit. Multum facit, qui hoc facit, & est totus ibi, ubi esse debet. Vulgares homines, qui humi incedunt, sunt plerumque utilissimi, eos enim facili labore imitari licet; At magna ingenia, quæ aquilarum instar in rupibus nidificant, parum conferunt ad hominum felicitatem, arrogantia enim multa bona corrumpunt, & multorum malorum sunt origo; esto nonnunquam, raro tamen, ex susceptis eorum conatibus bonum aliquod proficiscatur. Viri vividis animi viribus a Deo præditi, quos audacia, fortitudo, constantia, diligentia ad bene agendum animat, possunt multa pro genere humano salutaria producere, nulla habita ratione difficultatum, quas otiosi, & luxuriæ dediti probo eorum consilio objiciunt obtentu inutitium novationum. Justum itaque est agnoscere, & gratias habere, quod alii seminant & arbores serant, alii rigent, alii denique, qui nec semine, nec vase fusorio utuntur, quia prædiis carent, quod æque utili, æstimabilique labore malas herbas evellant.

Se  
prodest  
gvam  
spice  
Deus c

Q  
ducitu  
varior  
hæc p  
hic tar

T  
viros  
pias,  
legio

lico  
litano  
ex le  
existe  
Jour  
mant  
onib  
Pully  
ex  
excu  
si te  
deni  
suir  
tene

Sed ad arma descendetur, quid autem prodest inter arma talis doctrina? — Linguam compescito, superbe homuncio! Suscipe cœlum: Ubi summa necessitas, ibi Deus citissime auxiliatur.

Quo tempore politicus horizon novis obducitur nebulis, juvat fortitudinem exercitus variorum majorum statuum proponere; Res hæc poterit ansam dare comparationi, quam hic tantum attingere licet:

Tota gallica militia efficit hodie 593.588 viros, huc non computando nationales copias, neque recenter in ordinem distributas legiones Regni Italiæ.

Gallica potentia in Italia constat ex gallico observationis exercitu in Regno Neapolitano, cui præest Generalis St. Cyr, nec non ex legionibus in superiore, & media Italia existentibus, quæ sub Duce Mareschallo Jourdan sic dictum Italicum exercitum formant; componitur autem ex quinque Divisionibus, quas Generales Chabot, Zayonchek, Pully, Gardanne, & Olivier moderantur, item ex copiis in Hetruria sub Generali Verdier excubantibus, præterea ex militia in Genuensi territorio, quam regit Generalis Milhaud, denique ex phalangibus, quas Generalis Lesuire per provinciam Parmensem distributas tenet.



In Imperio Austriaco, si ad bellum educantur milites, dicuntur æquare numerum 400,000. Longe majus autem incrementum acceperunt per nova Instituta, quæ ibidem locum nunc habent. Austriacæ ditiones versus Italiam, & Galliam insigni muniuntur propugnaculo, Tiroli videlicet. Ferme omnes Domus Austriacæ Principes scientia militari eruditi sunt, quorum agmen ducit ipse Imperator.

Ante sæculum circiter, id est A. 1712. in Russia numerabantur milites legionarii 108350. Post mortem Petri Magni A. 1724. excreverant ad duas cohortes prætorias, 50 legiones peditem, 30 desultorium, aliquot equitum velocium 67 præsidiariorum & 6 provincialis militiæ, in summa ad ducentena millia armatorum; aderam jam tunc in Imperio russo 13,000 tormentorum. A. 1771 exercitus russo suas in classes distributus ad eum perfectionis gradum fuit perductus, ut præter cohortes prætorias, & rem tormentariam tractantes constiterit ex 198, 197 viris. A. 1794 Russica terrestris potentia aucta fuit ad 312,785, atque ab illo tempore ultimis potissimum undecim annis tantam fecit accessionem, ut plures 508,000 millibus armati bellatores possint in campum deduci.

Interim Gallia debet etiam suas oras maritimas copioso tueri milite. Universo lito-

rali exercitui præest Regni Mareschallus,  
 & bellicus una Minister Berthierius cum cha-  
 ractere generalis excubiarum magistri. Singu-  
 lares autem innumeræ hujus multitudinis di-  
 visiones sunt sequentes. 1) Subsidiarius equi-  
 tatus sub Generali Bourcier. 2) Subsidiarius  
 miles, nomen gerens a pilis nitrato pulvere  
 fartis, vulgø Granatarii. 3) Dimachi, ex  
 duabus divisionibus constantes, quas Genera-  
 les Klein, & Baragney de Hilliers guber-  
 nant. 4) Castra ad Montriolium posita, qui-  
 bus Mareschallus Ney est præpositus, con-  
 stituuntque quatuor divisiones sub Generali-  
 bus Düpont, Loison, Tilly & Mahler. 5)  
 Castra Brestana imperio Mareschalli Au-  
 gereau subjecta, & in tres partes divisa cum  
 totidem Generalibus Mathieu, Bonnet, &  
 Desjardins. 6) Castra ad Brugam ex 4 di-  
 visionibus composita sub Generalibus Gudin,  
 Friant, Valther, & Debilly, quibus summa  
 cum potestate præest Mareschallus Davust,  
 habetque adjunctum celebrem Generalem  
 Mathieu Dumas. 7) Castra ad Fanum S.  
 Audomari, seu Boloniensia quibus arbiter,  
 ac moderator præsidet Regni Mareschallus  
 Soult; hæc reliqua multitudine superant,  
 nam in quinque classes distributa sunt; &  
 a quinque Generalibus St. Hilaire Vandam-  
 me, Legrand, Suchet, & Hautpoult regun-  
 tur.

In eadem hac Officina Belnayana sequentes,  
præter complures alios, libri venales  
prostant :

*Syntaxma Historicum de Sigillis Regum et  
Reginarum Hungariæ pluribusque aliis  
autore GEORGIO PRAV Canonico quon-  
dam M. Varad. — Opus postumum cum  
XVI Tabulis æri incis. Accedunt 1) Vi-  
tæ, ac Scriptorum Auctoris recensio. 2) Se-  
ries chronologica Cancellariorum Hunga-  
riæ, a condito Regno ad hanc ætatem per-  
ducta. 3) Vetera duo Calendaria in usum  
Eccl. Strigon. in 4-to a 3 fl.*

Tavaszi Virágok. 1805 re. Szedte B. I. 18 kr.  
Csétsényi Svastics Ignátz Magyarok' Histó-  
riája, három részre metszett képekkel III T.  
maj. 8. 1805. 5 fl.

Gazdagsági oktatás arról, hogy miképpen  
kell és lehet a' Német és Spanyol Lóherét  
Magyar országban legjobb móddal és leg  
nagyobb haszonnal termesztani, és mind  
a' kettőnek a' magvát bőséggel szaporíta-  
ni. Poszonyban 1805. 8-vo 10 xr.

Joannis (P. Fr.) Stimulus Compunctionis &  
soliloquia, Editio novissima, cæteris emen-  
datior. Accedit brevis vitæ Auctoris epi-  
logus, cura, & studio Fr. Ildephonsi a S.  
Aloysio ejusdem Ord. in Etruria. Denique  
R. P. Bouhours Cogitationes Christianæ  
pro singulis mensis diebus interprete G. A.  
Belnay, 8. 1805. 45 xr.